SCHEDIASMATA

PHILOSOPHICA,

De quibus A. P. D. O. M

Publica & solennis συζήτησις instituetur

15. Kalend. Sextil. horis pomeridianis,

In publico auditorio Academiæ Regiæ Aberdonensis;

Respondentibus Magisterii Philosophici Candidatis.

PRÆSIDE ANDREA STRACHANO.

TERENT. MAUR.

Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes.

ABERDONIIS,
Excudebat Edvardus Rabanus, 1631.

CUM PRIVILEGIO.

ILLVSTRISSIMO
ET CELSISSIMO
HEROI,

GEORGIO GORDONO,
MARCHIONIS HUNTILÆI
FILIO PRIMOGENITO,
ET HÆREDI,

COMITI AENIÆ, VICECOMITI
BADINACHIÆ, ET
LOQVHABRIÆ,

BARONI DE GORDON, SERENISSIMÆ REGIS MAIESTATI
A Consiliis Sanctioribus,

DYNASTÆ ARCIS INVERNESSI,
Ducī Scotorum Equitum Cataphractorvm in Gallia, Equiti
Amplis Ordinis Balnei, &c,

D. Domino, Patrono, ac Benefactori suo, Ampliß. Humaniß. Munificentiß.

VIRI Principes inter quos emines Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Heros, hoc fere cum Deo commune habent: quæ ab alijs, eorum præſertim clientibus iis offeruntur, infra eos ſunt. Nec beneficia ſunt, ſed officia, & obſequia. Nec dona, ſed prompti animi, & benevoli affectus ἐπισημασίαι: quibus non magis conciliatur qui accipit, quam obſtringitur, qui offert: quibus dum promereri ſtudet, & antiquas neceſſitudines diſſolvere, in novas ſe recens induit. Et fere fit ut qui ἀξιόχρεως ſibi non videtur (deſperatione audaciam impellente) in æs alienum contrahendum pronior eſt. Hoc nobis tuam celſitudinem interpellare non verentibus vel ipſa experientia comprobatum, qui non ita pridem nos, omneſque hujus illuſtris Academiæ alumnos ære tuo demerſos, obrutoſque ſenſimus; dum beneficium ex beneficio feritur; vel quod Cothurnato vati ſcriptum ὑχάρις χάριν τίκτει. Non dubitamus tamen poſtulare gratiæ aliquid adhuc nobis apponi, ut nempe primis noſtris curis liceat lucem aſpicere ſub Clariſſimi tui nominis auſpiciis, ut GORDONI nomine, tanquam Gorgonis capite objecto obſtrigilatores obmuteſcant. Scilicet inverecunda eſt petacitas, & ubi finem non invenit gratificandi, finem non quærit flagitandi. Aures quia tu non obfirmaſti, frontem obfirmavimus nos. Et certè quid à te expectare non potuimus, qui neſcio quo ſidere te huic noſtræ Academiæ temperante, liberos tuos naſcendi conditione primos D. GEORGIVM, & D. IACOBVM lectiſſimum par, omnibus charitatibus ſibi multo chariores nobis condiſcipulos adjunxiſti. De quibus (ſi augurio locus ſit) optima, & maxima quæque nobis pollicemur. Effari non ſuſtinemus, quam vaſta ſpe animos noſtros diſtenderint, in quibus præter εὐδαῖον ἄξιον τυραννίδος, ingenia novimus ignea, excitata, Dædali quaſi manu ad ſubtilitatem facta, & ſimul etiam ſale ſapientiæ exacte contemperata ſupra quam quod ætas fert. Ita conveniebat ut magni magnis crearentur. Matrem (de te Patre quantus & qualis ſis jam orbi innotuit) naturæ beneficio nacti ſunt κυρίαν ἐκλεκτῶν, heroinam incomparabilem, modeſtiæ (quæ iſtius ſexus fere propria eſt) ſpeculum, & emblema: quæ in ejus facie prope non mortali velut in tribunali conſide-

re videtur, omnium virtutum eximiarum ſatellitio ſtipata: purioris cultus ſacrarium in qua (quod rariſſimi exempli eſt) ſingularis zelus pietatem incitat, rara prudentia zelum temperat. Virtutes ipſas, & charitates eam manibus ſuis adornaſſe dicunt omnes in quorum notitiam venit. Quam imitari perinde erit communibus natis, ac propoſitam ideam perfecti hominis moribus exſcribere. Tu conjugalis amoris pignora inter te, & ornatiſſimam hanc dominam, tui ſingularis amoris in noſtram hanc Academiam pignora etiam eſſe voluiſti. Tu in Academia hac regia (ut par erat) filios tuos olim inter patriæ principes futuros, regibus proximos ingenii culturam capeſſere juſſiſti. Qui filios tuos tuas delicias, tuum ſolatium huic Athenæo erudiendos tradidiſti, (ut in re graviori arguebat ſcriptor ſacer) non alia omnia cum illis dare paratus eris? Quæ ſalvo tuo honore illi compendia, & ornamento eſſe poſſunt. De qua benevolentia ut nobis conſtare poſſit, non ceſſas occaſiones etiam non oblatas captare, affectus tui profitendi erga hoc Pallados delubrum

Verum utut nos nullis officijs tibi addictos haberes, poſtquam hoc anno (quod fœlix hauſtumq; fuit) tua præſentia frui datū eſt quæ famam auxit: & noſtris ſenſibus uſurpare, quæ aliorū ſermone prius acceperamus: inceſſit animos libido te aliquo obſervantiæ ſymbolo venerari, quem alma parēs natura in lucē juſſit prodire familia antiquiſſima, præclaris majorum facinoribus illuſtriſſima (ut paſſim produnt noſtri annales) & clientelis olim hodieq; potentiſſima, quæ paucas pares ſuperiorem nullam his titulis in noſtra patria agnoſcit: quem deinde naſcentem oculis ita blandis intuita ſit eadem illa natura, ut cunctas illi corporis atque animi dotes unica velut manu largiretur: adeo ut illud Laberianum de Cæſare merito uſurpare poſſimus numero mutato Dij tibi nihil negarunt: inter quos ſi olim vixiſſes, dum obtinebat ſuperſtitio, in eorum numerum relatus fuiſſes: cum in corpore athletico, & majeſtatis pleno animum entheum, & cœleſtis planè originis geris. Quod arguunt inſignis tua ἀγχίνοια, & vis penetrabilis Seraphica, qua de re quacunque ad ſtuporem omnium ἀνεπιστημόνως vales dicere. Quoties in faciem tuam excelſioris animi ſpeculum, virtutiſque latentis vivam imaginem, altiorem, fulgentioremque quam inter humana cerni vulgo conſuevit oculos attollimus: velut numinis occurſu obſtupefacti, illico reſiſtimus, & ut vel vidiſſe fas ſit taciti precamur Cumque probe cognoſcas eruditionem jugi lectione veluti vitam cibo ſuſtentari, tu quoties ferias à curis (quibus inevitabiliter pro loco diſtineris) impetrare potes avidius & majorī cum delectatione lectioni incumbis: quam multi quos in hanc pro munere oportuit eſſe magis intentos. Et ut oſtendas voluptatem ad te fructum etiam ad alios pertinere: quando occurrit aliquid lingua aliena exaratum (quod noſtræ

ſtræ gentis inter eſt cognoſcere) Gallica præſertim (qua plurima eruditionis elegantiæ & plena conſignata ſunt) tu idem lingua noſtra vernacula loqui facere ſoles dextre & fœlicitter: utriuſq; linguę cum ſis callentiſſimus, & potentiſſimus. Et erit his indiciis freti prędicimus, quando aliena ingenia non ſectabere, fœliciſſimi tui ingenii fœtum adornaturus. Quid dicendo valeas, & ſermo quotidianus, & orationes ex ore tuo raptim exceptę arguunt, inimitabili fere quodam genere graves, cum admirabili ſuavitate parem prę ſe ferentes majeſtatem. Quo elogio exornabat ſui regis HENRICI magni facundiam, ipſe facundiſſimus Caſaubonus præf. ad Polybium ſuum.

Tuæ indolis contemplatione illuſtriſſimus princeps HENRICUS, ὁ μακαρίτης auguſtæ memoriæ qui ſui deſiderium poſt mortem reliquit pari ſpei quam de ſe vivo concitavit) te amore complexus eſt incredibili: quem conciliarunt in æquali penè ætate æqualia quinquertionum ſtudia. Nec limitibus diviſi orbis Britanniæ continetur inclytum tanti nominis decus. Verum præclari nominis exterę nationes (ſi non fallat fama) in cœlum tollunt nomen tuum, quoties mentem ſubit virtutis tuę Heroicæ grata recordatio in moribus & actionibus tuis elucentis, dum apud eas degeres: quas inviſere voluiſti ut earum inſtituta, ritus moreſque cognoſcendo πλυτρόπος evaderes: qua arte olim uſus Græcorum ſapientiſſimus. Meritorum tuorum intuitu Galliarum rex LUDOVICUS xiij (qui ut in omnib' ita in meritis æſtimandis juſtiſſimus audit) te ſingulari dignatione, ex omni gentis noſtrę nobilitate, equitum cataphractorum ducem elegit: quorum tanquam fidiſſimorum & ſtrenuiſſimorum militum opera uti voluit, ut avitæ neceſſitudinis inter gentes olim conjunctiſſimas faciem renovaret. Et Max. Opt. Rex noſter CAROLUS non alieno incitatus exemplo, ſed ſuo judicio nixus, cum ſciret te æque pacis ac belli artib' valere, te inter apolectos adſcivit. Et ſi natalium ſors pateretur, quæ te in ſupremo honoris faſtigio ſub principe tuo conſtituit te ad altiora eveheret. Neque enim illum latere poteſt, quam belle de corona Scotica, gens veſtra merita ſit. πολλῶν ἀντάξιον ἀλλῶν eſto ALEXANDRI GORDONI virtus, quæ prælio ad Brechinum geſto IACOBO ij. omnibuſq; ex illo editis regibus ſceptrum divinitus datum vindicavit. Quod caput eſt te in frequentandis noſtris ſacris luculentum exemplum religionis, & pietatis aliis proponis. Tanta celſ. tuæ exiſtimatio, tantus virtutũ ſenſus cum animis obverſarentur noſtris: certum erat primo hoc ingenij, & induſtriæ crudæ licet adhuc, & fritinnientis primulum monumento oſtendere quanti faciamus heroicas tuas virtutes: & quanto affectu proſequamur eos quos bene velle huic Academiæ novimus. Fatemur ſi matureſcente una cum annis judicio, nova ſeverioris limæ politura crepundiorum noſtrorum impolitiam lævigare, & refringere licuiſſet: habi-

turos nos quod Celſ tuæ confidentius offerre poſſemus. Nec dubitare fas eſt quin hæc Academia quæ tanti herois præſidio auctior, ornatiorque altius caput effert: pulcherrimis vicibus præſidium, & dulce decus ſuum exornabit: quando ea meditabitur quibus excelſum nomen tuum & tot benefactorum memoria ad ſeros nepotes propagetur: dum ſtudiis in orbe ſuus conſtabit honos. Cæterum audaciam hanc qua nos tenuis conditionis, & ultimę literatorum caveæ, Academicis ſpatiis, & umbris hucuſq; aſſueti affari ſuſtinemus Celſ. tuam, affectui cœco & extaſi cuidam condonabis. Facile enim nobis excidimus dum toti extra nos ſummam in admirationem rapimur virtutũ tuarum, quarum ſplendor aciem mentis præſtinguit. Animo etiam præſagiebamus tibi non omnino ingratum fore argumentum hoc, qui φιλέλλην (quod minime vulgare eſt) ad Philoſophiam adſpiras: quam in ſcholis publicis percipere non licuit. Cumq; perſpectum habeas Philoſophiæ moralis in republica (cujus magna pars es apud nos) multo maximum fore uſum: tu cõſilio Socrate digno (qui primus poſt habitis aliis Philoſophiæ partibus totum ſe civili Philoſophiæ addixit) hanc excultum is. Quæ quod eſt fructus in agro, in ovo vitellus, in animali anima: hoc idem eſt in Philoſophia. Quam laudem ei defert Sextus Empiricus ex inſigni Stoico Poſidonio. Accedit quod quantum ab alloquio C. T. deterrebat excellens dignitas, tantum animos addebat eximia humanitas, præſertim erga eos qui literas noſtras colunt. Qua ſi fiat ut altę hujus, & alma pacis tempore ex Muſarum, & Apollinis ſacerdotibus tot clientes literatos conciliaveris: quot armatos clientes olim belli tempore deceſſores tui inclitiſſimi: nihil ad familiæ veſtræ Nobiliſſ. amplitudinem & fœlicitatem de eſſe putandum erit. Salve Heros Illuſtriſſ. & ſi nugas noſtras & nænias pueriles aliquid eſſe putas (quam humanitatem a Maximo Imperatore Veſpaſiano, expertum ſe profitetur Plinius Præf. Nat. Hiſt.) animum & affectum multo maximum ſcito. Quo toto Deum O. M. dum datur venerabimur pro T. C. tuiſque omnibus, & florentiſſima tua familia.

Illuſtriſſ. C. T. humillime devoti.

— ADAMVS GORDONVS.	GVLIELMVS MACKENZÆVS. —
— ALEXANDER GARDENVS	IOANNES DVMBARVS. —
— ANDREAS SPENSÆVS.	IOANNES MACKENZÆVS. —
— DAVID DVMBARVS.	NORMANDVS LESLÆVS. —
— GVALTERVS INNESIVS.	PATRICIVS FORBESIVS. —
— GEORGIVS SPENSÆVS.	PATRICIVS VOLVMIVS. —

THESIS GENERALIS.

Thes. I.

VÆCUNQUE cognitio ex ſuo genio deſervit arti, vel prudentiæ (qui habitus ſunt pragmatici, & operativi) eadem illa operativa eſt. & ab habitu aliquo operativo elicita.

App. 1 *Notitia ergo rerum omnium operativa eſt: deſervit enim vel vitæ neceſſitati, & acerbitati ſublevandæ: vel ipſi probe inſtituendæ. Lippiant & cæcutiant alij, vidit DEVS omnia quæ fecerat valde bona id eſt* χρησιμα *& utilia, ut eſt apud Hiſtoriæ creationis ſcriptorem. Et certe cognitio rerum indoli quæ cognoſcuntur attemperari debet.*

2 *Omnis habitus ſive* ἐπίκτητος *ſive* θεόδοτος *operativus eſt, & cognitionem* πραξεως *ergo ſolicitat. Hoc ſub nube vidit Philoſophus, qui in limine Nicomach.* πᾶσαν μεθοδον ἀγαθου τινος ἐφίεσθαι, *& C. 2 Architectonicam omnibus alijs diſciplinis præeſſe dixit, & denique 2 de Cœlo C. 3.* ἕκαστον ὧν ἔργον ἐστὶν τοῦ ἔργου ἕνεκα εἶναι *aſſeruit. Quod de Hiſtoria Tullius idem nos de omnibus diſciplinis ſunt magiſtræ vitæ.*

3 *Diſtinctio illa habituum in theoreticos & practicos (ut & illa alia intellectus in theoret. & pract.) in ſcholis quamvis altas radices egit, & fere habitualis facta ſit, incudem ferre non poteſt.*

4 *Habitus illos ſcepticos ocioſos plane cenſemus.*

5 Ἁμαρτάνετε τῇ σόφου σοφώτερος *dum Philoſophiam 2. Met. C. 1. in theor. & pract. partitur, hujus operationem: illius veritatem finem conſtituens: niſi fortaſſe quandam Philoſophiam praxi vicinioram, quandam ab ea remotiorem intelligit.*

6 *Spiſſam errorem errarunt, qui ſcientijs ſolam abuti poſſe nos ad*

praxin, non vero uti, id est, non ex suo ingenio, sed ex hominum instituto ad praxin ordinabiles asserunt.

7 *Mathematica & Physiologia & arti, & prudentiæ deserviunt, plus tamen arti. Prima Philosophia, & prudentiæ, & arti plus tamen prudentiæ: illæ propter homines maximam partem: hæc propter DEVM.*

8 *Nisi numerorum cognitio in rerum calculo: magnitudinum vero Mechanicis in vita humana: nisi deinde corporum naturalium præsertim vero corporis humani in Physica cognitio Medicæ subservirent: Nisi denique primæ causæ intelligentiarum & aliorum in Metaph. cognitio in DEI cultu nos promoveret (ad quem etiam suam symbolam contribuunt licet non eo gradu & ordine aliæ omnes disciplinæ) omnium miserrimum animal esset homo: qui angendo scientiam augeret dolorem absque aliquo compendio.*

9 *Cæteris paribus virum illum qui pro rebus gerendis factus est & comparatus (nisi pragmatica industria in* πολυπραγμοσυνὴν *abeat) sceptico, qui* ἀεροβατεῖ *& contemplandi sublimitate Cœlos ipsos petit meliorem, & majoris usus in republica judicamus.*

THESES LOGICÆ.

Thes. I.

Κατηγορήματα interpretis maximi (cujus Ilagoge eundem fasciculum meruit cum primario organo) re quam enunciant distinguuntur: quod discrimen explicatur per σχέσιν ad diversa subjecta formaliter solum diversa.

App. 1 *Fimbrias distinctionis admotis fidiculis torquent, qui attributa hæc etiam modo prædicandi differre contendunt: genus namque & species;*

cies; & utraque differentia inter se, eundem modum prædicandi obtinent.

2 *In prædicatione qua de specie Genus, in prædicatione item qua de individuis specijs effertur, quod prædicatur in completum est, intuitu ejus de quo prædicatur: ad modum tamen completi enunciatur.* γένος γὰρ ὅλον τι τὸ δὲ εἶδος καὶ ὅλον καὶ μέρος *Porph Cap. 2. T. 39. quæ verba sensu accommodatitio, quam literali intelligenda malumus.*

3 *Species (cum non sit tota individuorum essentia)* μέρος μὴ ὥς μέρος *enunciat.*

4 *Indoctis solum (qui ex ignoratione causarum augent mira in rebus facti: & paradoxa in rebus opinionis) videbitur paradoxum partem ad modum totius prædicari, & in completum ad modum completi.*

5 *Quanta est distinctio inter generis & speciei prædicabilia, tanta est inter prædicabilia differentiæ genericæ, & differentiæ speciei infimæ, quam* πρὸς τὴν ἄλλων διαφορὰν *specificam indigitare placebit.*

6 *Ad propriam rationem & relationem vniversalis, & essentialem ejus differentiam nullo discrimine refert, quod inferiora magis & minus inter se differant: dummodo habitudo superioris ad ipsa ejusdem modi, et rationis sit, Suar. Disp. 6. Metaph. sect. 8.*

7 *Vel ergo duo esse prædicata differentiæ specie diversa profiteri necesse erit: vel unicum solum prædicatum generis & speciei.*

8 *Vel augendus, vel (quod magis videtur) minuendus prædicabilium numerus.*

II Forma quæcunque, sicut peculiares quasdam dispositiones pro sui introductione in compositum postulat; absque quibus foret propter materiæ indeterminationem natura scopum in illius productione certo non feriret: ita proprias quasdam dispositiones, & virtutes pro sui conservatione in materia, & pro exercendis operationibus ipsi debitis vendicat.

1 *Nullum est corpus naturale* τῶν ἰδιοτήτων ἄμοιρον.

2 *Vel calor in gradu summo* κατ' ὑπεροχὴν, & ἐνδελεχεῖα *(vt loquitur Philosoph. 2. de ortu, cap. 7.) est elemento ignis proprius; id est, calor vt loquuntur* κατὰ τρόπον, *non* κατὰ πρᾶγμα: *vel calor cum siccitate conjunctus, id est, proprium igni est esse* ζηροθερμον. *atque has proprietatum species ipse Philosophus lib. 1. de Demonst cap. 4. perstringit, quando de linea rectum & curvum* καθ' αὐτὸ *secundo modo enunciari vult.*

3 *Prædicatio hæc* ignis est sicco calidus *proprij est: non tamen porphyriana.*

4 *Prædicatio hæc* ignis est calid⁹ *accidentis communis esse, censetur. Hæc vero* ignis est summe calidus *proprij est: & proprie porphyriana. Vtique & ἀντικαταγορεῖται (ut loquitur Philosophus Lib. 1. Top.) & ἀντιστρέφει τοῦ πυρος Porph. cap. de prop.*

5 *Qui omnem igni proprietatem abjudicant (quales inter alios sunt Zab lib. 1. de qual. elementaribus c. ultimo & Ruvio tract. de primis qual. q. 1. Qui tamen suam sententiam emollire ibidem conantur) spoliationis reos per agemus.*

6 *Individua quemadmodum distinctas habent essentias (a quibus ὑπαρξεως τρόποι quibus solum vulgo differre perperam existimantur, pullulant) necesse est ita proprietates habent a distinctis essentiis dimanantes. Non fugit hoc Phil. qui in designando adæquato correlato proprij 1. Top. cap. 5. per universalius vocabulum τοῦ πραγματος hoc præstitit Consultum facturus fuit Porph. si suum autorem hac ex parte sequutus fuisset, quando speciem subjectum proprij adæquatum dixit nisi cum Philosopho lib. 1. de partibus Animal. cap. 4. & alibi, individua τα ἐσχατα εἰδη appellare amat. Quo sensu jurisconsulti Stychum & Pamphylum species vocant, & non solum illi sed & alij etiam Philosophi post suum parentem in terminis artis loquentes.*

III. Substantia, quæ divisum est in divisione illa, qua substantia in primam & secundam distribuitur; substantia est ab actu substandi, & subjacendi accidentibus, vel ab actu subsistendi denominationem habens: utrique id est & primæ, & secundæ (ut par est) communis. Primario tamen ratio hujus substantiæ convenit primæ, secundario secundæ, absque tamen omni analogia.

1 *Datur substantia communis, & a singularibus abstracta: quæ non est secunda.*

2 *Datur substantia communis, quæ nec est communis tanquam gradus genericus, vel specificus, nec tanquam gradus aliquis essentialis.*

3 *Datur substantia genere summo superior.*

4 *Substantia quæ est genus summum necessario universalis est, substantia vero quæ in primam & secundam dividitur, unitatem formalem sub-*

ſubſtantiæ importat, indifferentem ad naturam univerſalis & ſingularis.

5 *Subſtantialis natura prout in abſtracto ſignificatur, etiamſi ſingularis ſit, vt hæc humanitas, aut Petreitas (ut loquuntur) non eſt prima ſubſtantia, quia nec ſignificatur ut ſubſiſtens, nec revera formaliter eſt ſubſiſtens, ex vi ipſius naturæ ſingularis præciſè ſumptæ.*

6 *Non omne id quod alicui convenit per aliud analogice ei convenit. Sic enim proprietas ſpeciei individuis analogice competeret; & accidens individui ſpeciei eodem modo.*

7 *Analogia intercedit, quando ordo ſecundum quem attributum aliquod pluribus convenit, realis eſt: & non rationis duntaxat.*

IV. Ἀμετάπτωτον indicium diſtinctionis realis, eſt ſeparatio mutua.

1 *Diſtinctio quæ intercedit inter relationes, quibus pater ad plures filios refertur realis eſt; cum mutuo ſeparari queant.*

2 *Vnoeodemque fundamento exiſtente invariato, & ratione fundandi (quam Suarez. Diſp. Met. 47, Sect. 7. cum ratione mavult conditionem neceſſariam indigitare) variari poteſt ſecundum numerum relatio.*

3 *Fruſtra ſunt, qui relationem nullam novam in patre ſecundo filio genito agnoſcunt: verum promotionem, & extenſionem unius ejuſdemq; numero relationis (ut loqui amant) ad novum terminum (adeo ut ſecundum illorum mentem relatio patris ad primogenitum, & ſecundogenitum diſtinguendæ non ſunt tanquam duæ diverſæ numero relationes, ſed tanquam duo gradus, vel duæ partes unius ejuſdemque numero relationis) relatio enim nullam habet latitudinem: ſed eſt merè indiviſibilis in ordine ad ſuum terminum.*

4 *Gratis relationum commutationem comminiſcuntur, qui relationem patris ad primogenitum filium ſecundo filio genito perire aſſerunt, & aliam de novo emergere, qua pater adæquatè & indiviſibiliter ad utrumque filium refertur. Quid? an dicendum quoties fit de novo res atra, alia omnia atra relationes ſuas ſimilitudinis jam olim habitas abjicere, & novas adquirere? quin imo cur patris relatio ad primum filium de medio tolli debet manente eodem fundamento et termino?*

5 *Nihil vetat* duo accidentia *reſpectiva* ſolo numero diſtincta in eodem ſubjecto eſſe: *duo etiam abſoluta, ſi munere diſtinguantur, ut patet de ſpeciebus intelligibilibus, et viſibilibus.*

V. Συνθέσις illa, quam Philoſoph. cap. de Verbo vult, verbum eſt ſecundi adjacentis προσημαίνειν, & quam verbum (eſt) tertij adjacentis (de cujus ſignificatione etiam ſuo ſæculo excitatas fuiſſe controverſias adhuc non ſopitas innuit Philoſoph. cap. 10. lib. de Interp. quando ait, ſive nomen, ſive verbum dicatur) σημαίνει: eſſe mera identitas videtur: ne prætorie hic ſententiam feramus, ut in re tam controverſa cautela & modeſtia opus eſt. Certè ſi hic humani aliquid patimur decepit nos Philoſoph. qui 1. Top. cap. 7. poſtquam unitatem numericam omnium maximam eſſe docuit, prædicata eſſentialia etiam univerſalia (qualia ſunt illa quæ definitionem ingredi ſolent) eadem numero eſſe dixit cum definitis, proprium item, & accidens commune in concreto eadem eſſe cum ſubjectis. Atque adeo neceſſe eſt verbum [eſt] ea in enunciatione copulans eorum identitatem ſignificet.

1 *Rident Philoſoph. ſignificationem, quam Grammaticorum filij ubiq; verbum [eſt] tertij adjecti obtinere aſſerunt ſubſtantiam viz.*

2 *Conimbricenſium ſententia (quæ vulgatior eſt) qui entitatem in communi indifferentem ad eſſentiam et exiſtentiam ſignificare illud exiſtimant, a multis jampridem exploſa eſt.*

3 *Vnionem qualemcunque attributi et ſubjecti non ſignificat, ſic enim rem ſignificaret quam præſtat. Sic etiam ſubſtantiam in abſtracto de ſubſtantia in abſtracto, et accidens in abſtracto de ſubſtantia in concreto enunciare liceret, quia in abſtracto animalitas et rationalitas uniuntur, ſimiliter et albedo, et homo. Sic denique fieret verba inſtitutionis ſacræ cœnæ in ſenſu literali accipi χθὲς ἄτοπον: quia unire corpus Chriſti cum pane, et vino modo quem rei natura patitur nihil repugnat.*

4 *Hinc diſtinguitur verbum eſt tertii attributi, a conjunctione copulativa quæ eſt nota unionis duorum, ſed non identitatis.*

5 *Cum verbum [eſt] tertii adjecti identitatem attributi et ſubjecti ſignificet, cogitandum relinquitur, an differentia ad modum partis enunciari poſſit? fieret enim prædicationem in qua differentia de ſua ſpecie enunciatur eſſe vitio obnoxiam, cum totũ & pars idem eſſe nequeant formaliter.*

6 *Cum differentiæ in concreto idem ſunt ſpeciebus formaliter, cur non differentiæ ſicut et ſpecies directè in categoria erunt.*

VI. En-

VI. Enthymema (cui Fabius, & Tullius varia ſignificata appingunt) à Philoſopho intra conſiderationem Philoſopicam ſic definitur 2. prior. cap. ult. ἐστι συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εικότων ἢ σημείων ratione habita & materiæ et formæ. In qua definitione veriſimile eſt, Philoſophum per veriſimilia intelligere propoſitiones eo nomine probabiles quod adſerant quidpiam ut plurimum contingens: ita ſimile vero eſt matrem unice liberos amare, quamvis Agave, et Medea ſibi ἀσεργίας maculam inuſſerint. Per σημεία vero intelligit propoſitiones aliquid coarguentes ab iis quæ rem antecedunt, vel ſequuntur. Hæc ſi infallibilia ſint, et cum re convertantur τεκμήρια à Græcis, Ciceroni in partitionibus notæ propriæ: ſi vero dubia ſint σημεία dicuntur, et notæ communes ſunt, quæ etſi valere non poſſunt quia magna ſunt, valebunt quia multa ſunt, ait Fab. Lib. 5 Cap. 12.

1 *Particulam* [ἀτελὴς] *minime diſpungendam eſſe fidem varia faciunt. Primo multitudo codicum in quibus legitur cum ipſo Pacio fatente omnes libri editi addant vocabulum illud: & Morellius in annotationibus quibus variantes lectiones obſervavit nullam hic varietatem notat: deinde hujus nominis Etymologia quam tradit Philop. Comment. in 1. de Demonſt.* ενθύμημα *viz. à Græcis ideo dictum quod ſemper alteram propoſitionem ſupprimat. nec aliud voluerunt Græci interpretes, cum enthymema vocarunt* συλλογισμὸν μονολήμματον. *Accedit quod Philoſopus ipſo hoc Cap. de enthymemate inter ſignum & ſyllogiſmum diſtinguit, quia inquit ſi duæ ſunt propoſitiones ſyllogiſmus eſt, ſi una ſignum eſt, quo loco ſignum pro omni enthymemate uſurpat.*

2 *Hinc Ariſt. lib. 1. Top. cap. 12. inductionem & ſyllogiſmum* λόγους διαλεκτικοὺς *vocat: 1. autem Rhetor. cap. 2. enthymema Rhetoricum ſyllogiſmum et exemplum Rhetoricam inductionem appellat: quem in hoc ſequutus eſt D. Hallicar. Epiſt. ad Mammæum qui non ſolum hiſtoricus bonus, ſed etiam ſophiſta a doctis habetur.*

3 *Philoſophus dogmata proponens uſurpare debet perfectos ſyllogiſmos qui* βιαστικώτεροι καὶ ἐνεργέστεροι *ſunt: quando ex univerſalibus concludendum eſt. Et inductionem quæ* πιθανώτερα, καὶ σαφέστερα *eſt quando ex ſingularibus. Orator vero lubentius uti debet enthim.*

enthimematis, et exemplis ut cælet artificium quod agnitum cauſæ magè obeſt quam prodeſt. Et ut ne videatur eruditioni auditorum diffidere, quaſi neceſſe ſit omnes numeros ſyllogiſmi complere tanquam apud rudes. Vtitur tamen interdum orator integris ſyllogiſmis: verum tranſpoſitis partibus, iiſque non ſolum tripartitis, ſed et quadripartitis, et quinquepartitis cum ſyllogiſmo primario rationem vel alterius, vel utriuſque præmiſſæ addit ut notum eſt.

4 *Laudavit quæ Iulius verba lib. 1. Rhetoric. cap. 2. in ſuæ conjecturæ roborationem imprudens* ἐνθύμημα ἐξ ὀλίγων καὶ πολλάκις ἐλαττόνων ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός *jugulum ejus cauſæ petunt. Qui opera Philoſ. terunt norunt eum modeſtiæ cauſa (quæ in eo cum ſumma eruditione maxima fuit)* μειώσεις *quaſdam inſerere.*

5 *Pachymerius in anguſto illo opere epitomes Logicæ, intra anguſtias enthymema concluſit: quando enthymema dixit eſſe imperfectum illum ſyllogiſmum, qui ſolum minorem expreſſam habet.*

6 *Quamvis oratori argumentationis materia magna ex parte contingens ſit, ſiquidem verſatur ferè circa humanas actiones quæ pendent ab hominis arbitrio; rectè tamen Philoſophus 1. Rhetor. & Tul. 1. de Invent. ſtatuunt fieri nonnunquam ut enthymematis, & exempli materia ſit neceſſaria.*

7 *Perperam interpretantur Philoſophi definitionem, qui ſignum docent eſſe propoſitionem neceſſariam interdum, quia ex ea propoſit infertur concluſio neceſſaria, ſi altera præmiſſarum quæ mente premitur exprimatur atque adeo neceſſariam eſſe docent ratione formæ non ratione materiæ.*

8 In Logica communi Philoſophum materiæ conditionem non reſpicere, *univerſaliter verum non eſt.*

9 *Cum omnis effectus ſenſibilis ſit ſignum cauſæ, omnis demonſtratio ὅτι cui deficit altera propoſitio enthimema eſt. Et hinc Philoſophus alibi eum appellat demonſt. aſigno.*

VII. Ἐστι δὲ προβλήματα, καὶ ὧν ἐναντίοι εἰσὶν οἱ συλλογισμοὶ, καὶ περὶ ὧν λόγον μὴ ἔχομεν ὄντων μεγάλων &c. 1. Top. cap. 11.

1 *Non omnis quæſtio problema eſt, ſed ea ſolum quæ quærit id quod in æquilibrio hæret incertum, propter paria probabilitatis momenta: cujuſmodi quæſtio eſt, homini cui non effulxit revelatio, illa quam Philoſophus ibidem exprimit, an mundis ſit Æternus.* 2 Qui

2 *Qui omnia etiam ſcientiarum principia, per problemata proponere audent illi Dogmatici, et Peripatetici dicendi non ſunt: ſed Pyrroniani, ephectici, et aporetici dicendi ſunt.*

3 *Problematis abutuntur qui (quorum morbus hodie Epidemicus eſt) quævis etiam certiſſima, et evidentiſſima in utramque partem verſanda proponunt: qui ſi urgeantur parte illa quæ a veritate omnino abludere videtur, ad mentales reſervationes, et frivola additamenta veluti ad ſacram anchoram confugiunt.*

4 *Quod dixit Philoſ. c. 4. 1. Top.* paria eſſe problemata propoſitionibus, *cum cautela eſt accipiendum. Quia concluſio neceſſaria poteſt per propoſitiones πιθανὰς firmari: at concluſio dubia, et Problematica per neceſſarias non poteſt. Ita ut omne Problema confirmetur per propoſitiones: propoſitiones vero omnes non confirment Problema.*

5 *Cum paucisſima ſint, de quibus liquido conſtat nobis cæco corporis carcere cõcluſis, multa plurima ſunt quæ εἰς ἀμφότερον diſquiri poſſunt.*

6 *Poteſt eſſe Problema de iis, quæ ſunt πρὸς ἀλήθειαν, καὶ ψεῦδος (ut ſcriptum eſt Philoſopho hoc ipſo cap.) id eſt de iis quæ attinent ad ſcientiam: non tamen de iis quæ ſciuntur.*

THESES MORALES.

Thes. I.

Omnis diſciplina practica, verſatur in conſideratione mediorum ſolummodo; ſi de fine conſtet liquido: vel & in conſideratione mediorum, & finis: ſi finis dubius ſit, & anceps. Qui media præſcribit, fine nondum deſignato is andabatarum more incertum ferit: qui fine cognito de mediis non

laborat, is æque fruſtra eſt, ac is qui terminum motus conſequi velit, quamvis viam non ingrediatur.

1 *Vel primus liber Nicom. extra moralis Philoſophiæ ſyſtema eliminandus eſt: vel quod vulgo dici ſolet, finem debere præcognoſci in diſciplinis practicis, ſicuti ſubjectum in contemplativis univerſaliter verum non eſt.*

2 *Cum de ſummo hominis bono, ſi de re ulla alia, ſummè variatum eſſet ſententiis, oportuit Philoſophum in limine Philoſophiæ moralis finem certum præſtruere.*

3 *Subjectum adæquatum prudentiæ, virtutes quæ ſunt media, & fœlicitatem quæ eſt finis eſſe ſtatuimus. Huc reſpexit Philoſophus qui lib. 1. mag. Moral. de moribus (qui utram hic paginam faciunt) dicere proponit. Hoc poſt Philoſophum vidit Averroes, qui uti eſt apud Picol cap. 2. Iſag. ſubjectum civilis ſcientiæ dixit eſſe res voluntarias. Ab hoc non videtur alienus D. Angelicus qui in proœmio lib. de Moribus ait Moral. Philoſophiæ ſubjectum eſſe operationem humanam in finem ordinatam. Omnium interpretum accutiſſime hoc vidit ejus præceptor M. Albertus, qui totidem verbis virtutem & fœlicitatem dixit ſubjectum. Et ratio favere videtur quæ enim habent neceſſariam relationem, & dependentiam aſe invicem, ea debent ſimul conſiderari in eadem diſciplina.*

4 *Picol, qui ab hac ſententia abhorrere videtur, fundamentum tamen nobis matuatur hoc firmandi. Id inquit eſt ſubjectum civilis ſcientiæ quod eſt natum agi: ſicut artis id eſt ſubjectum quod eſt natum effici. At virtutes, et fœlicitas actioni ſubjiciuntur et in definitione ſcientiæ comprehendere volait Philoſopbus utrunque, quando prudentiam definivit rectam rationem agibilium.*

5 *Hinc quid de Conimb. ſententia, qui in proœmio Diſput. in lib. Ethic. hominem ut libere agit, & ut poteſt bonis moribus ex coli ſubjectum ſtatuunt, exiſtimandum ſit apparet. Quæ ſententia à Picol. refellitur abunde. Quid item de ipſius Picol. ſententia, quam nec referre quia pluſquam vulgata eſt, nec mage refellere animus eſt. Satis eſto noſtram aſtruxiſſe.*

6 *Non dicendum cum Epiſcopo Caſertano (qui non ita pridem multos ſectatores adinvenit) fœlicitatem eſſe ſubjectum totale.*

7 *Finis moralis Philoſoph. proximus non eſt fœlicitas: ſed cognitio et fœlicitatis, et mediorum quæ fini iſti conducunt.*

8 *Vir-*

8 *Virtutes non explicantur in gratiam fœlicitatis in ſyſtemate moral. Philoſ. primario, ſed in gratiam ſui: mediorum enim explicatio eſt in gratiam ſui, mediorum vero uſus in gratiam finis.*

II. Poteſt homo quivis, naturæ ductu, per irrefragabiles demonſt. cognoſcere unicum eſſe eum, qui eſt principium & cauſa omnium aliorum entium: et hunc propter infinitas perfectiones omnis generis eſſe venerandum: propter beneficia in alios & ſe collata eſſe ſuper omnia diligendum: et deniqne quia Deum juſtum et ſanctum cognoſcit (cui virtutum operationes per placent) etiam actus virtutum moral. exercere quoad ſubſtantiam operis (utrum ſine peccato an non hujus diſquiſitionis non eſt) quomodo orator Latinus in ſomnio Scipionis monet Rempublicam dilgenter eſſe adminiſtrandam, quia Deo nihil eſt gratius.

1 *Hæc omnia, multo expeditius præſtare poterat homo ad finem naturalem ſolum conditus.*

2 *Cum duplex ſit humanæ vitæ gradus; & duo genera habituum, infuſorum videlicet, & acquiſitorum: geminum etiam lumen cognitionis: cumq; media habeamus & inferioris ſubſellii, fini naturali, & ſuperioris fini ſupernaturali appropriationata: cur non etiam finem alium ſupernaturalem, alium naturalem? ſeu quod idem eſt, felicitatem aliam ſupernaturalem, aliam naturalem habebimus? Quæ principaliter collocanda eſt in actione elicita ab habitu virtutis confirmato: adæquate vero in omnium bonorum quæ in humana vita inveniuntur aggregatione, & conſtantia, in quam tanquam in ſcopum collineant omnes virtutes Ethicæ.*

3 *Diſquirendum relinquimus, an ſupernalem cum naturali confundant? & plus charitati quam fidei in ſacra pagina fundatæ tribuunt? qui τῶν ἔξωθεν probatiores civitate cœleſti donarunt quales inter recentiores Max. Eraſmus & Vives in hoc veteres quoſdam ſecuti.*

III. Recta ratio, quam virtus ubique ſequitur, in quibuſdam modum ſequendum dictat: in aliis ad ſumma incitat.

1 *Videntur cum Platonici, tum Chriſtiani Philoſophi in hoc rectè ab Ariſt. diſcedere, quod ille naturam omnis virtutis in mediocritate affectuum poſuerit: cum tamen verum ſit nonnullis virtutibus accidere, ut affectibus moderentur, verum non omni virtuti id proprium, & perpetuum*

eſt, Deum enim colere, æterna bona appetere, vitia odiſſe, aut æterna mala formidare nimium non poſſumus.

2 Superſtitio *in eo non peccat, quod Deum nimium colat: ſed quod perverſe, & præpoſtere per inidonea media.*

3 *Philoſophus cuique virtuti duo extrema aſſignare affectans, non dubitavit virtutes vitiorũ nomine denigrare* ἀφιλοτιμίαν, *v.g bonoris cõtemptum, & voluptatis etiam cap. 7. lib. 2. Nicomac. quas tamen perfectiones endo cælo locamus. hæſit hic aqua Philoſopho quando ibidem ait* ἐστι μὲν ὅτι ἀφιλοσίμων ἐπαινῶμεν.

4 *Haud melius vitii nomine de honeſtavit* ἀναλγησιαν, *quando quis nihil à rebus creatis formidat, etiam à fulmine, & tonitru Iovis ſagittis ad terrendos vel manes comparatis (ut rebantur Pythagoræ diſcipuli) lib. 3. Nicom. cap. 10.*

5 Iuſtitia *ipſa duo extrema non agnoſcit, ratione habitus (ut loquuntur ſcholæ) ſed ratione objecti: quando viz. quis plus tribuit, quam par eſt: qui tamen vel nullius tenetur, vel ſi cujus id non ad injuſtitiam pertinet, ſed ad prodigalitatem.*

IV. Nullus effectus ſive univocus, ſive æquivocus, ſive proximus, ſive remotus cauſam excedit perfectione eſſentiali.

1 *Merito notandum Picol.* σφάλμα *qui. actiones quæ habitum virtutis conſequuntur & ab eo eliciuntur diverſæ perfectionis eſſentialis eſſe, ab iis quæ habitum virtutis præcedunt, eumque ingenerant aſſerit G. 2. c. 10. mor. phil.*

2 *Aliter in hoc negotio cedit habitibus infuſis, & Theolog. eorumque actibus: aliter Philoſophicis. Primorum habituum actus præcedaneos, à ſuccedaneis ſpecie diſtingui non abnuerimus.*

3 Et *in genere* Naturæ, *& in genere* Moris (*ut loquuntur*) *eadem eſt actio moralis ſpecie, quæ habitus mater, ac quæ ejuſdem filia eſt. Si verum ſit (quod jam obtinuit)* actiones morales à fine ſpecificari. *Poteſt enim quis, vi præceptorum actionem probam efficere: in qua eandem finem proponit, quem ille qui ex habitu operatur. Quemadmodum eadem eſt actio ſpecie conficiendi calceum: & idem ſpecie calceus qui conficitur, per præcepta artis, & per habitum artis.*

4 *Qui habitu eſt deſtitutus, poteſt omnes numeros actionis probæ implere*

plere, etiamſi non tam facile, & expedite quam alter ab habitu inſtructus.

5 Ad ſummum actio præcurrens, perfectione accidentali cedit actioni quæ habitui ſuccedit.

6 Dum finem erroris non invenit Picol. principium petit manifeſtario: quando actionem quæ habitui ſubſternitur, ſpecie differre ab ea quæ habitui præſternitur aſſerit: eo quod hæc non fiat cum conſtantia, illa vero cum illa fiat. Quod idem eſt ac ſi diceret actionem ex habitu, differre ab actione quæ ex habitu non eſt. Conſtantia enim & permanentia eſt de intrinſeca ratione habitus.

7 Diverſitas principiorum ad actionum ſpecificationem nullius momenti eſt, cum a termino ad quem ſpeciem deſumant.

THESES PHYSICÆ.

Thes. I.

FORMÆ materiales (ut vocantur) cum compoſitum Phyſicum conſtituant: realem, & poſitivam entitatem neceſſario habent. Cumque non accipiant eſſe per creationem à prima cauſa immediate: vel ab aliqua intelligentia inferiori (ut ſomniavit Avicenna, cujus ſententiam minime improbabilem indicat Soncinas 7. Met. q. 29.) ex nihilo minime fiunt. Non fugit hoc Philoſophum qui lib. 7. Metap. cap. 7. T. 29. de formis accidentalibus arte factorum diſſerens ait ὥστε καθάπερ λέγεται ἀδύνατον γενέσθαι εἰ μηδὲν πρόυπάρχοι. ibidem addit materiam eſſe partem aliquam formarum. Quæ omnia cum debita proportione, formis ſubſtantialibus accommodari poſſunt, & debent.

1 *Quemadmodum non omne id, quod ex nihilo fit, in nihilum abit: ita* non omne quod in nihilum abit ex nihilo fit. *quod firmat, quod in præsenti proposito est, conditio formarum materialium: quæ dissoluta compositi compage in nihilum discedunt; ex nihilo tamen non fiunt.*

2 *Formæ ergo materiales ex materia fiunt: si fieri in latiori notione sumatur: alioqui fieri jam κυριοτατα in usu communi suppositis tribuitur. formæ enim potius dicuntur confieri quam fieri.*

3 *Materia, quæ formis materialibus est substrata, non modo est* in potentia ad illas: *quomodo materia animæ humanæ est in potentia ad illam: sed* illas etiam in potentia continet.

4 *Materia non solum est principium & causa compositi, sed etiam formæ; quæ ab illa dependet & in fieri & in esse.*

5 *Quod profitetur Philos. in definitione principiorum:* principia non fieri ex aliis *animadversione eget.*

6 *Forma licet ex materia sit, compositum non est.*

7 *Non omne quod ex materia est compositum est.*

8 Fieri ex nihilo, *non solum negat habitudinem causæ materialis intrinsece componentis id quod fit: sed etiam habitudinem causæ ejusdem sustentantis formam quæ confit.*

9 *Hinc est quod dicitur,* de materiæ potentia evocari formam. *Non quod ejus potentiam non actuet, sic enim nunquam educitur ex ejus potentia: sed quod cum prius in ea ut causa potentia contineretur, postea fit actu extra causam.*

10 *Si quis formam etiam de potentia agentis educi affirmaret non esset in re propter quod illi repugnaremus. Obtinuit tamen ut solum de materiæ potentia educi dicatur.*

11 *Hujus difficultate victi antiquiores Philosophi, non dubitarunt formas substantiales & generationem substantialem uno conatu abnegare. Quo nomine sæpe a Philosopho reprehenduntur.*

12 *Et recentiores (cum hic illis scrupulus hæreret) asseruerunt omnes formas esse in materia,* ἅμα καὶ ἅπαξ *secundum quædam inchoamenta.*

II. Ipse Philosophus (qui lib. 5. Met. cap. 4. variam significationem vocabuli NATURA enucleat, & alibi passim alia ejus significata adjicit) in scientia naturali stringit naturæ

significa

significationem: cum 2. Phys. eam definit per habitudinem ad motum cujus est principium, & causa.

1 *Materia in censum naturæ veniet, si [natura] in consideratione absoluta sumatur [id est] si sumatur pro essentia, præscindendo eam ab operationibus, quarum principium debet esse. Qua significatione naturæ libenter utitur Philosophus & ejus interpretes, dum naturã supposito distinguunt. Si tamen [natura] accommodetur (ut a Philosopho hic fit) ad designandum principium determinatum motus: materia se hoc honore devestiet. Quia ex se ut est indifferens ad omnes formas ita ad omnes motuum contrarietates. Hoc* διαρρήδην *affirmat Philosophus cap. 1. lib. 2. Phys. illis verbis* τὸ γὰρ δυνάμει σαρξ ἡ ὀστοῦν οὐ τέχει πω την ἑαυτοῦ φύσιν πρὶν ἀν λάβοι τὸ εἶδος *ibidem concedit materiam esse naturam quatenus est* ὑποκειμένη (i.) *forma substrata: sed solum* εἶδος *ait esse* φυσιν κατὰ τον λόγον (i.) *secundum definitionem naturæ jam a se assignatam.*

2 *Si materia in posteriori notione natura esset, unica esset omnium entium naturalium natura.*

3 *Nullus motus est materiæ ex se naturalis: nullus violentus.*

4 *Forma est principium activum motus, primo per propriam suam causalitatem materiam restringendo, & habilem faciendo ad talem motum recipiendum: & deinde motum ipsum producendo.*

5 *Nullius motus est forma principium passivum per se. Materiæ enim est pati, estq; illa radix recipiendi. In generatione vero (quæ communi vocabulo motus intelligitur a Philosopho passim ante doctrinam lib. 5) eam non esse principium passivum apparet.*

6 *Zabar. (qui tam fœliciter de hoc argumento de more suo huc usque Philosophatus est) defecit acumen suum, quando formam eatenus esse principium passivum contendit, quatenus materiam, vel compositum propensum reddit ad talem motum.* ῥοπην *enim ad motum conferre est principii activi.*

7 *Tam dependet forma a materia in ratione principii passivi: quam materia a forma in ratione principii. Ita enim vices rependunt.*

III. Immobilitatem loci (quæ huc usque jugi motu dubitationum interpretes exercuit) optime secundum mentem Philos.

Philoſophi, Zabarella lib. 1. de qualitatibus elementaribus cap. 8. & Perer. lib. 11. ſui ſyſtematis Phyſ. (par graviſſimorum Philoſophorum quos ſæculum noſtrum novit) videntur explicaſſe: dum eam proprietatem ſolis elementis competere aſſeruerunt, quorum locus eſt invariabilis, & fixus: dum ordo univerſi ratus manet.

1 *Quemadmodum motus miſtis convenit virtute elementorum, ita locus ejuſq́ immobilitas.*

2 *Turris aere ventis perturbato ſitum non mutat: locum tamen mutat, vel ſaltem mutatur ejus locus.*

3 *Omnes particulæ in definitione loci univerſaliter omni loco non cõveniunt. Et ſolenne eſt Philoſopho in definitione primarii definiti, non adæquati rationem habere, ut patet ex definitione boni 1. Nicom. allati.*

4 *Averroes* (quem cauſa laborante deſervit *Zab.*) *qui locum dixit immobilem ad locum corporis locati: vel Scotus qui ſecundum æquivalentiam immobilem ſtatuit: vel denique Thomas qui habita ratione partium Cardinalium mundi, hoc unum oſtendant locum* (quem *Philoſophus* appellat *vas immobile*) *à vaſe* (quem *Philoſophus* locum *mobilem* vocat) *diſtingui ratione immobilitatis. Et ſtatim in eorum ſententiam ibimus.*

IV. Non ſolum Philoſophus gravia & levia eſſe motus ſui cauſas intrinſecas definivit (contra quam Sotus & Iavellus nimio ſtudio Thomam ſequendi adducti) dum cap. 1. lib. 4. de cœlo ea ἐχειν ξώπυρ ἀτ/α κινήσεως & cap. 3. ejuſdem libri ea ἐχειν ἐν ἑαυτοις ἀρχην κινήσεως docet: ſed etiam in definitione naturæ, ea motus ſui cauſam primariam & principalem ſubindicat, dum φύσιν definit ἀρχην πρωτλω κινήσεως. & certe ſuffragatur ratio, ea enim eſt cauſa principalis, quæ cum non agat mota ab alia, per virtutem nobiliorem, vel ſaltem æquinobilem cum effectu in actionem influit, per quam tales effectus producitur. Quæ deſcriptio quam belle conveniat naturæ gravium & levium judicent cordati.

1. *Nihil proficiunt, qui demonſtrare laborant gravium & levium naturam, eſſe cauſam principalem motus ipſorum: argumento petito à natura demonſtrationis: quia viz. per naturam eorum demonſtrari poteſt ipſorum*

sorum motus: in omni autē demōstratione potissima medium debet esse causa principalis: absque qua foret ut non ingeneraret perfectam scientiam. Non enim motus sed mobilitas demonstratione potissima concludi potest de gravibus & levibus per ipsorum naturam.

2 *Intentio metaphorica (quam generantia inanimata alunt, ad perficiendum omnibus numeris ea quæ ab ipsis generantur, quod tum demum præstant quando illis in loco naturali contingit esse, quem per motum consequuntur) non magis abjudicat naturis gravium & levium rationem causæ principalis: quam intentio animatorum quæ formalis est (qua in generatione proponunt sibimet conferre genitis à se ea omnia quæ ipsorum naturæ debentur) aut intentio causæ universalis & primæ (qua omnium entium perfectionem intendit per media ipsorum naturis consentanea) ponit, aut probat generans animatum aut primam causam esse causas principales, & proximas earum actionum quæ à genitis animatis, aut causis secundis producuntur.*

3 *Vtroque pollice melius cessit D. subtili, quam Angelico in controversia de motore gravium & levium.*

4 *Institutum Philosophi ignorant, qui ex ejus doctrina cap. 4. lib. 8. Phys. ubi (βαρυντικὸν καὶ κουφιστικὸν esse causas motus gravium & levium pluribus asserit) inferunt Philosophum solum generans eorum pro causa principali agnovisse. Omnes quotquot Philosophi mentem perspectam habent norunt consilium Philosophi ibi fuisse, ex serie motorum nectere primam motorem Frustra autem fuisset si mentionem injecisset de causis per emanationem agentibus, ad exemplum quarum gravia & levia suos motus producunt Quare consulto de solis causis per emanationem operantibus loquutus generans gravium & levium dixit esse causam eorum motus.*

V. Substantiæ materialis, compositæ adæquatum individuationis principium est hæc materia, huic formæ unita: principium tamen primarium est hæc forma.

1 *In animalibus imperfectis, progressu nutritionis, variatur individualis natura, & essentia singularis quia jugi actione caloris humidum depascentis, recedunt particulæ quædam materiæ: cum quibus depereant partes formæ. Illorum enim formæ maxime materiales sunt (si formas inanimatorum excipias) per omnia enim sequuntur materiæ indolem de ejus potentia educuntur, ei coextenduntur, et ad ejus divisionem dividuntur.*

2 *Non per omnia idem eſt lumbricus numero qui genitus eſt, & qui corrumpitur. Animal tamen illud quia longævum minime eſt, & calor naturalis in illo minime eſt impenſe acer, notabilem & inſignem variationem non ſubit.*

3 *Hinc eſt quod dicatur* κατὰ ἰσοδυναμίαν *manere idem: quemadmodum domus partibus ſubinde vetuſtate collapſis re inſtaurata manet eadem.*

4 *In homine, formaliter abſolute, & ſimpliciter eadem maneat, abſque ulla levicula mutatione (anima enim humana eſt ſubſtantia ſpiritualis, & incorruptibilis) materia tamen mutationi obnoxia eſt: partibus ſolidioribus quales ſunt oſſa, & cartilagines caloris actioni reſiſtentibus.*

5 *In cæteris animalibus perfectis, quamvis prætorie pronuntiare de qualitate formæ temeritati proximum ſit: ſi tamen res tam incerta Philoſophi autoritate tranſigenda ſit: videtur mentem ejus reſpere quod formæ eorum eædem manent. Aſſerit enim cap. 5. lib. 1. de ortu accretionem fieri ſecundum formam (quam εἰδὸς ἄνευ ὕλης vocat accretio autem debet fieri ſecundum rem permanentem) & quod omnium maxime urget lib. de juventute & ſenectute cap. 2. (perfecta animalia ab imperfectis ſecernens) in perfectis alit τὸ φυὲν eſſe μάλιστα εἶδος.*

6 *Animalia perfecta, toto nutritionis curriculo, unitatem numericam ſimpliciter retinere exiſtimantur: propter identitatem formæ (à qua potiſſimum & unitas ſpecifica & unitas numerica deſumitur) & unitatem materiæ maximam partem.*

7 *Unitatis defectum, qui contingit ex parte materiæ negligunt Philoſophi, quia illa ad unitatem tuendam ſufficere exiſtimant, quæ vitam, & actiones vitales præcipuas conſervant: & ſalvis quibus manet eſſentia, & connexio prædicatorum eſſentialium.*

8 *Hinc partes Phyſicæ componentes in* eſſentiales, & integrantes *diſtribuerunt: rati alicujus partis integrantis abſentiam (abſq; qua vita conſiſtit) nequaquam præjudicium afferre unitati rei numericæ. Tantum abeſt, ut fluxus quarundam partium materiæ omnibus membris integris exiſtentibus unitati derogare poſſit.*

VI. Meteora ſunt corpora imperfectè miſta, ex duobus infimis

fimis elementis, aliorum tamen permistione laborantibus ingenerata.

1 *Hinc Philosophus* καπνόν (*quæ est* ἀναθυμίασις πνευματοδέστερα) *ex aere, & terra fieri dixit, lib. 2. de ortu, cap. 4. text. 28.*

2 *Imperfectio (qua laborant elementa) est et ex parte materiæ, deficiente concursu quatuor elementorum: & ex parte formæ: quæ concurrunt aptè, & concinne non coalescentibus: ut inde sequi possit accurata* κράσις.

3 *Hinc sicut* εὐκρασίαν *corporis perfectè misti, consequitur durationis diuturnitas:* ἀκρασίαν *imperfectè mistorum consequitur fluxus, & evanida duratio.*

4 *Si terra suæ nativæ puritati relinqueretur; ex inde nulla vi elici posset spiritus. Quia quanta, quanta est crassa est, & mera fæx.*

5 *Hinc materiam elementorum, asserimus primo debere constare partibus heterogeneis, quibusdam crassioribus, aliis vero rarioribus: & secundo partes crassiores (quibus constat) debere esse notabilis crassitiei.*

6 *Supera duo elementa seorsim, idonea mistorum materia non sunt.*

7 *Non omne quod constat partibus heterogeneis constat organicis.*

8 *Inanimata mista possunt esse,* ἀνομοιομερῆ: inorganica *tamen sunt.*

9 *Quæ* ὁμοιομερῆ *per omnia sunt, pura elementa sunt. Quibus est diversa ratio partium, citra apparatum organorum inanimata mista sunt.*

10 *Vapor ascendens aqua esse nequit, ut probat ejus motus: nec aer cum delatus ad secundam regionem aeris, tam facile se postliminio reducat ad pristinam frigiditatem. Est ergo medium quid, & inter utrumq́.*

VII. Species quæ objecto sive sensus: sive intellectus vicariam operam præstat illud repræsentando, & præsens exhibendo est εἶδος ἄνευ ὕλης 2. de anima cap. ult. t. 121. (i.) spiritualis, & immaterialis. Quæ tamen cum ab objecto (cujus est ὁμοίωμα) tanquam causa æquivoca producatur: intuitu objecti est deterioris notæ.

1: In quibusdam accidentibus (*contra quam in substantiis accidit*) *fit ut* quæ spiritualia sunt imperfectiora sint. *Quod tamen minime*

univerſaliter pronunciare debuit Zab. propter accidentia Angelorum, & animarum humanarum, quæ omnia corporea accidentia præſtantia facile vincunt.

2 *Reſtringendum eſt ergo ad illa accidentia ſpiritualia, quæ ſunt corporeorum traduces, & exuviæ quaſi.*

3 *Quæ tamen maxime ſpiritualia ſunt, imperfectiſſima non ſunt. Species enim viſibiles aliorum ſenſuum ſpeciebus multo ſpiritualiores ſunt (utpote quæ ad oculum ictu oculi, momento citius, ex ultimo puncto ſphæræ activitatis objecti viſibilis tranſmittuntur) & tamen perfectiores habentur, quia ſenſuum perfectiſſimo famulantur.*

4 *Ratio ergo imperfectionis, non eſt immunitas a materia, aut conditio ſpiritualis: ſed receſſus a natura reali. Quo fit ut rerum umbra & tenuis imago potius, quam res veræ ſint.*

5 *Nec tamen iis abjudicanda omnis realitas, cum effectus reales producant.*

6 *Non repugnat* accidens idem numero, de ſubjecto in ſubjectum tranſire.

7 *Cum grano ſalis accipiendum eſt, quod dicitur* quantitatem & qualitates quaſdam non eſſe activas: *quantitas enim, & qualitates etiam ſecundæ tactiles, quales ſunt durities, & mollicies (quæ minime activæ habentur) ſui ſpeciem imprimunt & ſenſibus, & intellectui.*

8 *Manus hominis non percipit calorem intra ſe: ſed calorem ignis extra ſe. Manus nunquam minus ſentit calorem quam cum eſt maxime calida.*

9 *Zab.* (*qui rerum pondera mage, quam* εὐρεσιλογίαν *amat*) *tueri non dubitat accidens ſpirituale, idem eſſe numero cum reali: & non idem cap. 5. de ſenſu agente.*

VIII. Pie creditur animabus ſeparatis eſſe διάγνωσιν ἴδιαν id eſt illas animas eorum quæ in corpore geſta ſunt, etiam poſt divortium a corpore notitiam retinere. Alienum enim foret ab earum beatitudine, omnes ſpecies pertinaci induſtria conquiſitas, una mortis litura induci: & memoriæ librum ſimul cum vita claudi. Et conſcientia recte vel ſecus geſtorum ubi tandem erit?

1 *Hinc*

1 *Hinc irrefragabiliter evincitur, esse memoriam intellectivam in homine: æque ac in Angelis. In qua tanquam in peculiari thesauro necesse est species universalium abstractorum recondantur.*

2 *Neque tamen intellectus citra inducias id est citra pausam semper actu intelligit. Quia non est potentia mere naturalis: sed subditur imperio voluntatis, a qua applicatur ad intelligendum: quemadmodum a sensibus ad idem excitatur, qui illi materiam novam subministrant: vel antiquam ad mentem reducunt.*

3 *Quemadmodum in sensorio sæpenumero est species objecti ubi tamen non est actualis sensatio: ita in intellectu est species objecti absque actuali intellectione.*

4 *In parte animæ superiori, eminentiori ratione est memoria: quam in inferiori. In superiori enim fit & recordatio objecti, et actus, et utriusq; quidem cum apprehensione formali præteriti temporis: quæ tamen desideratur in parte inferiori animæ. Vt in brutis notum est.*

5 *Frustra est Zab. inter alios, qui speciem, et intellectionem tanquam geminos, simul oriri, simul etiam interire asserit.*

6 *Adæquata, imo principalis ratio habitus, non consistit in præsentia specierum: sed in habilitatione, et qualificatione intellectus.*

THESES
De Mathematis inferioribus.

THES. I.

Φ

Λίνεται γὰρ ἐν τε τοῖς ἄλλοις τάχιστα φθειρόμενα τὰ παρὰ φύσιν 1. de Cœlo. T. 15.

1 *Stellæ ascititiæ, respectu stellarum concreatarum quarum consistentiam non assequuntur (experimur enim illas diu Cœli vim & cæterarum stellarum radios sustinere non posse alterationi subjici donec*

nec diſſolvantur) quodammodo παρὰ Φύσιν ſunt. Non enim pertinent ad ornatum, & perfectionem cœli ſimpliciter.

2 *Secundum ceuſum hunc, magè naturales cœlo ſunt ſtellæ in creationis principio ab externo principio creatæ: quam ſtellæ novæ à natura cœli, & ab aliis cœleſtibus corporibus ingeneratæ.*

3 *Magè* naturale, *interdum eſt id,* cujus principium eſt ad extra: *quam id cujus principium eſt ad intra.*

4 *Naturale Zab. cap. ult. lib. 1. de quali. elementaribus huc reſpiciens ſic definivit: Naturale eſt non quod naturam rei conſequitur, ut effectus cauſam à qua producitur: ſed quod rei naturæ requirit.*

II. Radii per medium craſſius (ſi tamen diaphanum ſit) refracti, & veluti in canales diffuſi: objectũ majus quam eſt in ſe exhibent. Diſgregat enim medium illud radios viſuales.

1 *Si fieri poſſet, ut per parietes, & ſolida quævis Sol ſpectaretur (ut de Lynceo fabulata eſt antiqua Græcia) major multo quam jam apparet conciperetur.*

2 *Perſpicillorum ope plura videntur, quam abſque iis. Et quæ videntur majora quam ſunt apparent.*

3 *Soloriens, & occidens (dum horizontem ſtringit) major videtur, Propter vapores inter ipſum, & aſpectum interpoſitos.*

4 *Hinc qui circulos eccentricos imminutum eunt, ſolis diametrum majorem videri in Capricorno, quam in Cancro propter vapores interpoſitos, perperam tamen, adſerunt.*

5 *Serena nocte, hyeme plures ſtellæ, & clarius videntur, quam alias, non propter medium magè perſpicuum, & ſubtile, ſed propter tenebras majores. Cum enim eveniat ut Sol (cujus fulgore cæteræ obſcurantur, & occidũt Heliace) longius removeatur ab Horizonte, hyeme quam æſtate: ſit ut plures ſtellæ conſpiciendas ſe præbeant tunc quã alias.*

6 *Haud aliunde fit, quod nocte illuni plures ſtellæ in cœlo fulgeant: quam nocte, quam luna illuſtrat.*

III. Niſi nos aſtronomorum obſervationes fallunt: Solis declinatio id eſt ejus receſſus a circulo æquinoctiali rata non eſt: nec eadem lege ſemper continetur. deprehenſum enim eſt eam variare, & modo eſſe majorem, modo vero minorem. Secundum calculum Ptolomei comprehendit gradus 23. minu.

nu. 51. sec. 20. Secundum vero calculum Copernici Gradu. 23. minu. 28. sec. 20. Vt mittamus Strabonem, Proclum, & Leontium mechanicum qui distantiam alterutrius Tropici ab æquatore 24. graduum posuerunt.

1 *Anomalia hæc Thebitio, & post illum Alphonsin materiam subministravit motum trepidationis excogitandi: secundum quem observatum esse a se dicunt, Æquinoctia accidisse antequam Sol ad ♈ primi mobilis perveniret: aut ad ♎. imo postquam aliquando transiverat principium ♈. aut ♎. pari rationi facta fuisse solstitia etiamsi sol non exstiterit in principio ♋. vel ♑.*

2 *Eadem illa occasionem dedit Copernico, Magino, & Clavio (cum motum illum trepidationis phænomena evertere omnium Astronomorum advertissent) motum librationis à Septentrione in meridiem, & contra per spatium 24 minut. ad inveniendi.*

3 *Circuli ergo Tropici (unde incipit Sol regredi) non semper eundem locum obtinent.*

4 *Quod vulgus Astronomorum ait* circulos intrinsecos *esse mobiles, sed* invariabiles *retractandum est*

5 *Ως ἐν πλάτει calculum instituunt qui Tropicos ab æquinoctiali, & polos, Zodiaci a polis æquatoris distare 23. gr. & semisse asserunt: & inter se distare Tropicos 47. gr.*

6 *Non eadem est quantitas æstatis: non eadem diei, & noctis habitantibus 23. gr. & dimidio ab æquinoctiali.*

7 *Quibus Sol hoc anno est perpendicularis, poterit eosdem obliq; fluxu temporis aspicere eadem anni tempestate.*

IV. Ab Astronomorum Empiricis (i.) nautis observatum est degentibus sub circulo æquinoctiali præcise; neutrum polum conspicuum esse. Imo non emergere alterutrum supra horizontem: donec per gradum unum aut alterum ab æquinoctiali decedatur. Huic experientiæ etiamsi ratio refragetur, si ex cognitis sententia sit ferenda: quia tamen hujus rei causa inter retrusas, & abditas esse potest has consequentias superstruimus.

1 *Horizon noster sensibilis (qui dividit partem cœli visam a non visa) non dividit cœlum medium.*

2 *Habitantes ſub alterutro polorum, nec ſtellas in circulo æquinoctiali videbunt.*

3 *Non quanta eſt declinatio loci alicujus: tanta eſt elevatio poli ſuper Horizontem loci illius.*

4 *Poteſt eſſe [illegible]matio abſque ulla elevatione*

5 *Minus rectè horizontem rectum, vel Sphæram rectam definiunt: qui illam ita circumſcribunt, eſt in qua uterque polus inſiſtit horizonti.*

6 *Habitantibus ſub polo dies nocti haud eſt æqualis ſemper. Nox eſt ſex menſium, & ultra: dies ne ſex quidem menſium eſt.*

7 *Habitantibus in Sphæra recta etiam circuli omnes qui a polis deſcribuntur coluri, & mutili apparebunt.*

THESES METAPHYSICÆ.

DE SVBSISTENTIA.

Thes. I.

DE ſubſiſtentia, in Philoſophi ſcriptis, nec vola: nec veſtigium. Quid mirum? myſterii incarnationis minime gnarus, hanc ignoravit, quæ etiã nos fugeret, niſi ulterius lumẽ affulgeret. De ea tamen nos (prout Chriſtianos Philoſophus decet) ſobrie, & intra cancellos noſtræ artis Philoſophari conſultum exiſtimavimus; ut Philoſophiam noſtram vicem rependere ſuæ Dominæ videamus, dum lumen quod illi accendit, illuſtrius reddit.

1 *Nihil minus vult Philoſ. 7. Met. cap. 11. quando τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ*

ἑκαστον ταυτὸ ἐπι πρῶτον ουσιῶν aſſerit quam identitatem naturæ & ſubſiſtentiæ (de qua nec ἑναρ, nec ὑπερ locutus) in immaterialibus ſi credamus interpretibus melioris notæ, ibi verba facit de identitate nudarum eſſentiarum, prout ſpecifice concipiuntur, cum ſpeciebus ad quas attinent, & has opponit iiſdem eſſentiis prout ſunt in individuis, quæ in ſe comprehendunt aliquid quod naturam ſpecificam excedit, & non eſt de ejus eſſentia.

2 Qui naturæ diſtinctionem in materialibus agnoſcunt, in immaterialibus imminutim eunt, fruſtra ſunt, quia potuit λογος naturam Angeli aſſumpſiſſe, quæ tamen diverſa à perſonalitate λόγῳ remanſiſſet. Quare videtur hæc diſtinctio non ex peculiari conditione alicujus naturæ enata.

II. Humani aliquid paſſus eſt D. ſubtilis noſter: quando paſſim ſubſiſtentiam nihil poſitivum naturæ ſingulari adderet ſed negationem duntaxat dependentiæ actualis, vel aptitudinalis aſſerere non dubitavit. Non repugnantes nos habuiſſet: ſi vix, & ægre, eam aliter qnam per modum negationis exprimere ſuſtinere nos docuiſſet. An negabit (qui negationi hic tam favet) tres perſonas adorandæ triados re aliqua poſitiva conſtitutas? & naturam humanam in λόγῳ ad rem poſitivam aſſumptam? cum pura puta negatio terminus formalis unionis realis eſſe non potis ſit.

λογος quamvis integram naturam humanam, & omnia quæ illi debentur ſibi ἐν ὑποστάσει applicuerit: tamen non omnes rationes poſitivas hominis aſſumpſit.

2. Si poſſibile eſſet naturam humanam à verbo ſeparari: aliquid reale illi ſuper adjiciendum eſſet: ut poſſet modo naturali ſubſiſtere.

3 A violentia tamen excuſatur ejus ſubſiſtentia in verbo, quia nobiliori & altiori modo in eo ſuſtentatur, quam à propria ſubſiſtentia ſuſtentari poſſet. Verbi enim ſubſtentia virtute, & eminenter continet quicquid perfectionis eſt in propria.

III. Subſiſtentia non eſt aliquis naturæ gradus, & ſpecialiter magis, non determinat naturam ſpecificam ad rationem individui. Hoc enim proprium eſt naturæ ſingularis.

1 *Illa antiquiſſimi interpretes latini Boetii definitio* perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia (*quæ paſſim in ſcholis obtinuit*) *rigorem Philoſophicum ſuſtinere non poteſt.*

2 *Chriſtus eſt univoce* homo *nobiſcum.* Perſona *univoce haud eſt nobiſcum.*

3 *Eſſe* primam ſubſtantiam *et* ſuppoſitum: *idem non ſunt.*

IV. Subſiſtentiam (ut de ea jam θεολογῶς loquamur) profitemur primo eſſe modum, & à natura eam non diſtingui tanquam rem à re: quod firmamus indicio indubitato ſeparationis non mutuæ. Poteſt quippe natura à ſubſiſtentia divortium pati (quod in Chriſto ſoſpitatore factum eſt) ſubſiſtentia vero à natura haud quita eſt ſequeſtrari.

1 *Natura ſimpliciter excedit ſubſiſtentiam perfectione: hæc enim eſt modus quidam: illa vero entitas ſubſtantialis. Ab eodem tamen exceditur ſecundum quid natura, ſubſiſtentia enim eſt naturæ actus ſimul cum ea ſuppoſitum conſtituens.*

2 *Humana natura propria perſonalitate terminata, haud quita eſt, aliena terminari quia non datur modi modus.*

3 *Et ſubſiſtentia creata alienam naturam terminare non poteſt propter finitudinem.*

4 *Quia ſubſiſtentia eſt naturæ* τρόπος τις, *fit ut genium naturæ ejus eſt modus ſequatur. atque adeo ut intelligentiarum ſubſiſtentia, indiviſibilis ſit: quemadmodum eſt earum natura.*

5 *Nulla ſubſiſtentia ſuppoſiti materialis, indiviſibilis eſt: ne hominis quidem qui (parte potiore) ſpiritualis eſt.*

6 *Omnis ſubſiſtentia rerum materialium, ex partibus integrantibus conflata eſt. In quas (niſi impedimenta ſe offerant) reſolvi poteſt. Quicquid enim eſt materiæ particeps extenſionem partium atque adeo compoſitionem ex partibus vendicat.*

7 *Subſiſtentia totius aquæ tota, in tota aqua, et tota in ſingulis ejus partibus eſſe non valet. Cum non ſit res ſpiritualis: nec in puncto aliquo ſit, cur enim in uno magis quam in alio? aut ſi in uno, quomodo exinde ſe diffundet ad ſubſiſtentiam toti aquæ communicandam?*

8 *Propria corporis Chriſti ſubſiſtentia (quam verbum ſupplevit) intime eſt in toto corpore, et ſingulis ejus partibus verbo enim unitum eſt corpus,*

pus, & ſingulæ partes, & particulæ ejus, eæque in triduo mortis ei unita abſque vinculo animæ remanſerunt.

9 Subſiſtentia totalis rei materialis, & partiales partium ſubſiſtentias includit, & unionem partialium ſubſiſtentiarum inter ſe. Cum enim ſit per ſe una unionem partialium modorum exigit.

10 Separata forma hominis a materia, ſuperſtes licet ſit animæ, et corporis etiam ſubſiſtentia: humanitatis tamen ſubſiſtentia deperit.

11 Minime abjudicandæ ſunt partes ſubſiſtentiæ, illo nomine quod illa ſit ſuppoſiti complementum, et complemento repugnare videatur eſſe partem totius alicujus complementi partes enim ſubſiſtentiæ licet ſint in tota ſubſiſtentia ſicuti componentes illud, non tamen ſunt in ea ut in ſuſtentante: ſed ſunt ſicuti componentes, ita et conſubſiſtentes.

12 Subſiſtentiæ partiales termino ſeu vinculo communi cohærent (quod commune eſt omnibus extenſionem habentibus) cumq; fit partium diviſio, terminus communis deſtruitur, & emergunt novi termini.

13 Partes aquæ prius ſeparatæ poſtliminio reunitæ dici poſſunt ſubſiſtentes: non ſuppoſita. Quemadmodum anima humana ſubſiſtens dici poteſt: minime tamen ſuppoſitum, aut perſona. Suppoſitum enim in vulgata ſignificatione denotat ſubſtantiam completam.

14 Communicatio per modum partis incommunicabilitati ſubſtantiæ non adverſatur. Quandoquidem illa dumtaxat communicatio quæ eſt ratione inhærentiæ, aut dependentiæ ab alio ut ſuſtentante illi repugnat.

15 Anima humana etiam dum corporis ἐντελέχεια eſt ſubſiſtit. unio enim informativa unionem hypoſtaticam non minuit. Anima etiam CHRISTI a primo articulo creationis, & unionis cum corpore fuit hypoſtatice illi unita propria unione, ex ſua natura, independente a corpore, quæ in triduo mortis remanſit, illa alia unione diſſoluta.

16 Quando diſtrahitur anima a corpore, unioni informativæ non ſurrogatur modus aliquis poſitivus, formaliter repugnans unioni ejus cum corpore: ſed ſufficit unionis illius privatio. Atque hoc conſentaneum magis eſt naturali animæ conditioni: quæ ex ſe appetit unionem cum corpore. Unde cum eſt extra corpus in ſtatu violento eſſe exiſtimatur. In quo certe non eſſet: ſi unioni informativæ ſucederet alius ſubſiſtendi poſitivus, & connaturalis.

17 *Sive anima ſit ſeparata: ſive conjuncta ſemper eſt ejus ſubſiſtentia communioni obnoxia, & in eam prona: atq; adeo eſt intrinſce incompleta. Contra quam accidit in ſubſiſtentia partis aquæ: ſi aqua in partes divellatur. Fit enim totalis illa, & ſuppoſitum cujus eſt illa completum.*

18 *Materia (quæ formis materialibus ſubeſt) ſuam ſubſiſtentiam vendicat quam variatis formis ſucceſsivè ſuccedentibus invariatam tuetur. Si enim exiſtentia materiæ à formæ unione dependet, ut a conditione requiſita, & tamen eadem numero perſeverat per omnes vices formarum: cur non eadem conditio ſubſiſtentiæ, quæ exiſtentiæ ἀναλόγως eſt, & æque ac illa abſoluta?*

19 *Non omnis dependentia rationi ſubſiſtendi repugnat. Fidem facit huic rei (præter illud quod in propoſito eſt) dependentia omnium aliorum entium à prima cauſa, & ſuppoſiti materialis a diſpoſitionibus ſuis.*

20 *Si jacienda ſit alea de ſubſiſtentia formæ materialis dicendum in ea inveniri præter entitatem ejus, modum quendam incompletum, qui nititur modo exiſtendi materiæ. Vnde fit ab hac materia inſeparabilis.*

21 *Modus hic formæ eam ſolum afficit dum & prout unita eſt materiæ. Quemadmodũ enim forma illa φύσει exiſtentiæ non eſt capax niſi materiæ uniatur: ita terminum exiſtentiæ reſpuit abſq; hac unione.*

22 *Materia prima ordine naturæ formæ ſupponitur, & unioni ejus cum forma ejus præſupponitur modus exiſtentiæ ejus. Forma vero materialis primo intelligitur uniri materiæ, poſtmodum vero ſecum afferre modum quo cum materia componit rem completè ſubſiſtentem.*

23 *Hinc materiam ſecundum ſe ſubſiſtentem indigitamus: modum autem formæ materialis non tam* ſubſiſtentiam incompletam: *quam* complementum quoddam integræ ſubſiſtentiæ: *quia cum materiæ ſubſiſtentia utramque paginam facit ſubſiſtentia completi ſuppoſiti.*

24 *Hinc etiam eſt quod inter omnes formas Phyſicas* ſola anima humana ſubſiſtere *dicatur. Quia omnino à materia independens eſt.*

V. Subſiſtentia eſt modus ſubſtantialis.

1 *Suppoſitum naturæ accidens aliquod non ſuperadjicit.*

2 *In humana v. g. natura non deſiderantur accidentia, quæ ſpectant ad humanæ naturæ perfectionem: vel ei debentur φύσει.*

3 *Illud quod ratio ſuppoſiti naturæ ſuperaddit ad ſubſtantiæ complementum pertinet.*

VI.

VI. Subſiſtentia ab exiſtentia naturæ effectu formali diſtinguitur. Exiſtentiæ enim eſt conſtituere rem in ratione entis in actu extra cauſas (quæ ex ſua natura indifferens eſt ad exiſtendum alteri innitendo ut ſuſtentanti: vel ad exiſtendum per ſe) ſubſiſtentiæ vero effectus eſt conſtituere rem independentem ab altero, ut ſuſtentante.

1 *Actio qua exiſtentia ſubſtantiæ, & ſubſiſtentia comproducuntur ſimplex, & indiviſibilis non eſt. Alioqui non poſſet exiſtentia abſq; ſubſiſtentia produci.*

2 *Chriſti humanæ naturæ non defuit propria exiſtentia, cui tamen propria ſubſiſtentia denegata eſt.*

3 *Alia eſt compoſitio ex eſſe, & eſſentia ut docent Metaphyſici: alia ex natura & ſubſiſtentia.*

4 *Suppoſitum præſcindit ab actuali exiſtentia, ſicut natura. Verè enim dixerunt Prophetæ Chriſtum fore antequam erat.*

5 *Subſiſtentia à propria exiſtentia re non diſtinguitur. Et in hac conſideratione verum eſt* ſuppoſitum ſuperaddere naturæ exiſtentiam *quod in alio ſenſu falſiſſimum eſt.*

VII. Qui majore cum modeſtia Philoſophantur, concedunt nullam eſſe invictam demonſtrationem, quæ cogat fateri naturam eſſe principium ſubſiſtentiæ, ſi tamen locus ſit vehementi conjecturæ videtur quod ſit, ſi enim proprietates ab eſſentia dimanent; multo magis poterit ſubſiſtentia ab eadem profluere. Quia major, & intimior eſt connexio inter naturam exiſtentem, & ſuam ſubſiſtentiam: quam inter eam, et ejus accidentia: et facilius eſt modum ſubſtantialem à natura ſubſtantiali profluere: quam entitatem toto genere diverſam.

1 *Quando effectus aliquis reduci poteſt ad internum principium, fruſtra ad externum confugitur: ſicuti data cauſa ſecunda, fruſtra ad primam itur.*

2 *Cum animadverſione accipiendum eſt, quod dicitur* actionem ſubſtantialem tendere primo in rem per ſe ſubſiſtentem. *Tendit quippe primo in naturam, unde reſultat ſubſiſtentia. Verum* qui dat formam (*ut loquuntur*) dat conſequentia ad eam.

3 *Subſiſtentia non eſt ratio formalis determinandi creationem v. g. ſed*

ſed eſt ſubſtantiale complementum rei quæ creatur, naturaliter, & neceſſario reſultans ex termino formali creationis.

4 *Quamvis materia prima ſit pura potentia in ordine ad actum formalem: non deeſt tamen ei eſſentia actualis, per quam potis eſt ex ſe fundere proprietates, vel modos eſſendi (ut loquuntur) naturæ ſuæ accommodatos inter quos ſubſiſtentia eſt.*

5 *Actione unica ſecundum numerum minime fit rei ſubſiſtentia cum ejus natura. Sunt enim à diverſis principiis: quorum unum eſt intrinſecum, aliud extrinſecum.*

6 *Actione unica ſecundum ſpeciem non fiunt ſubſiſtentia, & natura Fit enim hæc actione propria dicta, illa vero emanatione.*

VIII. Subſiſtentia proprium, et immediatum influxum in actionem ſuppoſiti non habet. Modi enim exiſtendi (inter quos eſt ſubſiſtentia) non poſſunt eſſe principia agendi.

1 *In Deo tota ratio agendi* ad extra *eſt natura ſeu voluntas divina.*

2 *Hinc a Theologis accepimus* actiones ad extra eſſe indiviſas.

3 *Chriſti humana natura fuit totale, & adæquatum principium actionum humanarum abſq; concurſu ſubſiſtentiæ increatæ. Si enim concurriſſet illa conveniret aliqua activitas ad extra verbo quæ ei non eſſet communis cum reliquis perſonis.*

4 *Illud* actiones ſunt ſuppoſitorum (*quod ex Ariſt 1. de anima, t. 64. & 1. Met. c. 1. hauſtum exiſtimatur*) *invaluiſſe putarim: quia ſubſiſtentia merè concomitanter, & per accidens ſe non habet ad actionem agentis ſed antecedenter & per ſe ordinario. Prius enim debet eſſe res in ſuo eſſe completo per ſubſiſtentiam, quam operari poſſit.*

5 *Subſiſtentia etſi non ſit* ratio agendi, *eſt tamen* conditio requiſita ad agendum.

6 *Hinc dicitur ſubſiſtentiam ſe habere ut* ut quod *non ut* ut quo *in actione.*

7 *Hinc etiam de creaturis in abſtracto actiones non prædicantur v.g. non dicimus Sophroniſci eſſentiam generare. Si excipias dimanationem ſubſiſtentiæ ipſius a natura.*

8 *Quæ ratione actiones ſunt ſuppoſitorum: eadem paſſiones ſunt eorundem ratio recipiendi eſt materia, vel totum compoſitum: conditio quæ requiritur ad recipiendum illa accidentia, quæ fluunt a forma poſt unionem ejus cum materia ſubſiſtentia eſt.*

FINIS.

Seton, John. THESES | PHILOSOPHICAE, | Quas Auſpice ac Propitio | D. O. M. | Adoleſcentes Magiſterii Candidati, in ACADEMIA | MARISCHALLANA, die [ ] Iulii, ANNO 1631. | *Publice propugnabunt, ab aurorâ ad meridiem* PRÆSIDE IOANNE SETONO. | - | [Quotation and woodcut] | ABERDONIÆ, | Excudebat Edwardus Rabanus. 1631.

4°. 7 in. A-E². Pp. [5]+6-16+[4]. Title; verso blank; pp. [3, 4], Dedication to the memory of Aristotle signed by eleven candidates (*Fasti*, ii. 205); pp. [5]-[20], Theses (logicae, ethicae, physicae, metaphysicae) in long primer italic within borders.

Strachan, Andr.

—A— SCHEDIASMATA | PHILOSOPHICA, | De quibus A. P. D. O. M. | Publica & ſolennis συζήτησις inſtituetur | 15. Kalend. Sextil. horis pomeridianis, | In publico auditorio Academiæ Regiæ Aberdonenſis; *Reſpondentibus Magiſterii Philoſophici Candidatis.* | PRÆSIDE ANDREA STRACHANO. | [Quotation and woodcut] | ABERDONIIS, | *Excudebat Edvardus Rabanus*, 1631. | CVM PRIVILEGIO.

4°. 7 in. One leaf + A², B-D⁴, E³. Pp. [6] + 1-36. Title; verso and A1-2, Dedication to George Gordon, eldest son of the Marquis of Huntly, signed by twelve candidates (*Off. and Grad.* 185); pp. 1-30 (p. 29 is mispaged 23), Theses (generales, logicae, morales, physicae, de mathematis inferioribus, metaphysicae) in long primer italic within borders; E4 apparently utilised for Title leaf.